DE MEDICIS HEROIBVS ATQVE HEROIBVS MEDICIS

QVAEDAM PRAEFATVS

VIRO

MAGNIFICO EXPERIENTISSIMO EXCELLENTISSIMO DOCTISSMOQVE

DOMINO

GEORGIO RVDOLPHO BOEHMERO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI ANATOMIAE ET BOTANICES PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO LONGE CELEBERRIMO

FAVTORI ATQVE PATRONO SVO

OMNI OBSERVANTIA COLENDO

PVRPARAM RECTORIS MAGNIFICI

DIE XVIII. OCTOB. MDCCLV.

ACCEPTAM

PIO ANIMO GRATVLATVR

M. IOANNES GOTTLOB HEYNE

ORDIN. PHILOSOPH. ADIVNCTVS.



VITEMBERGAE

EX OFFICINA HAKIANA.





gregie confultum iri, haud quisquam facile neget, uitae hominum, ubi, quod CICERO tanquam confilium commendat, fequi uolumus ac poffumus: *a*) *In morbis corporis, ut quisque eft difficillimus, ita medicus nobiliffimus atque optimus quaeritur.* Quorum, quo quis praeftantior in fua arte atque potentior eft, eo maiori iure tanquam diuinus uir et Heros poterit confiderari. Occurrnnt in antiqua memoria quidam Heroes medici, quos iam breui commentatiuncula inclufos in lucem producam adfpectumque hominum. Quo autem facilius, quales fuerint, intelligas, pauca in uniuerfnm de Heroibus monenda effe uidentur. Scilicet eo nomine infigniebantur a ueteribus Viri nobiles et illuftres, qui, quamuis mortales, reliquos homines uirtute fuperabant et proxime ad Deos accedere uidebantur. *b*) Credebant creduli olim

 homi-

a) Orat. pro Cluentio c. 21.

b) Oper. et dieb. u. 158. 159. LVCIANVS dialog. mortuor. T. II. ed. Bafil. p. 51. Ἥρως ἐστι μήτε ἄνθρωπος, μήτε θεὸς, ἀλλὰ συναμφότερος. Neque homo eft, neque Deus, fed utrumque fimul.

homines, heroas, aut altero parente Deo, altero homine prognatos, aut diuina uirtute instructos esse, eosque post mortem in Deorum referebant numerum.
Hinc uocantur Semidei:

> Ἀνδρῶν Ἡρώων θεῖον γένος, οἳ καλέονται
> Ἡμίθεοι

LVCANVS *c*) ita eos describit:

> Quodque patet terras inter, lunaeque meatus
> Semidei manes habitant: quos ignea uirtus
> Innocuos uita, patientes aetheris imi
> Fecit, et aeternos animam collegit in orbes.

Putabant homines Heroes daemonibus proximos esse, quamuis cum humanis magis conueniant animis, *d*) tantoque homine praestantiores esse, quanto Deos daemonibus. Paullo aliter PLVTARCHVS *e*) heroas accipit pro animis a corpore separatis. Sed missis reliquis, nobis sufficiat explicatio SVIDAE, *f*) cui Ἥρως est. Ἡμίθεος δυνατὸς, γενναῖος, *Semideus*, *Potens*, *Generosus*. Hinc Ciceroni dicuntur *diui*, *principes*, et Cato ipsi appellatur: Heros ille noster Cato. *g*) Ex his patet Heroas nominatos fuisse qui alios uirtute uel quibuscunque meritis, superabant. Quorsum referas reges Graeciae, propugnatores et uindices patriae. *h*) Sic Achilles, Telamon, aliique fortissimi belli duces huc referendi ueniunt, qui post

mortem

c) Pharsal. Lib. IX. u. 6-8.
d) Vid. *Io. Ant. Venerius* de Oracul. cap. 6.
e) de Placitis Philosoph. Lib. I. c. 8. Conf. Philostratus in Heroicis *Iamblich*. de Mysteriis p. 8. 42. 189.
f) in uoce Ἥρως Tom. II. p. 79. ed. *Kusteri*.
g) Epist. ad Attic.
h) Conf. SALMASIVS in Tertulliani librum de Pallio p. 238. ubi multi Graeciae Heroes e *Xenophontis* Cynegetico adducuntur.

mortem diuino honore sunt culti. *i*) Sed relictis his omnibus pro instituti ratione ad medicos Heroas accedimus. Patet uero iam ex his quae attulimus, si conferamus inter se, Medicos Heroas uocandos esse eos, qui insigni quadam ac paene diuina artis salutaris peritia prae aliis eminuerunt. Quibus etiam deinceps alios adnumerabimus proceres et principes, qui, quamuis aliis regendis essent praepositi, nihil tamen minus medicorum scientiam excolendam sibi fouendemque putarunt. Iam primum omnium illos quos priori nominauimus loco, animo ac cogitatione perlustrabimus. Scilicet Medicorum Heroum origines exinde repetendas statuimus, cum ueteres, Medicos, ut quisque esset peritissimus, ita maxime aliis eum praecellere hominibus arbitrarentur. Quin constat, hanc artem eos, quemadmodum diuinam putabant, ita Apollinis, Dei, non hominis esse inuentum, credidisse. Mirifice hanc rem illustrant uerba MELANCHTHONIS, *k*) quae non dubito huc transferre: *Homerus, uates sine dubio rerum humanarum peritissimus, unum Medicum multis aliis hominibus praestare censuit: quod Poeta acerrimi iudiciudicii nunquam dixisset, si non uidisset tantum oportere tribui tam eleganti rerum naturae cognitioni. Quid? quod Homero non tantum uetustiores, sed etiam grauiores uiri Medicis diuinos honores habuerunt, eosque beneficentia et studio in numerum Deorum sustulerunt. Quod grauiter quidem illi et constanter fecerunt. (ut eorum ferebat religio.) Iudicabant enim illi hanc sapientiam, non humanam sed coelestem esse, quae tam arcanas rerum uirtutes, in ipsis naturae uenis reconditas et abstrusas reuoluere, et in lucem proferre posset: neque hominis, sed Dei esse, tanta homi-*

i) Vid. FEITHII Antiquit. Homeric. cap. I. et XII.
k) In Encomio medicinae Tom. I. declam. p. 280.

hominibus commoda afferre, et paullo poſt in alia oratione eiusdem argumenti: *l*) *Cum nihil ſit melius aut honeſtius, aut ſplendidius, quam uitam ſeruare ac tueri, praeclare faciunt, qui artis huius fructus aliis impertire ſtudent, atque eam ob cauſam mihi Homerus dixiſſe uidetur: Medicum uirum multis aliis praeſtare.* Hinc HOMERVS *m*) ille ſuam ita exponit ſententiam:

Ἰητρὸς δὲ ἕκαςος ἐπιςάμενος περὶ πάντων
Ἀνθρώπων· ἦ γὰρ Παιήονός εἰσι γενέθλης.
Medicus uero unusquisque peritus ſupra omnes
Homines: ſane enim Paeionis ſunt ex generatione.

Iam in eo erimus, ut huic rei lucem maiorem accendendae exempla quaedam afferamus. Primus itaque, qui nobis ſeſe offert conſpiciendum, Medicus Heros, nomine Ariſtomachus ab Heſychio appellatur: Ἰατρὸς ἥρως Ἀθήνησιν ἀρχαῖος. *Medicus, heros Athenis antiquus.* Huius fanum meminit DEMOSTHENES *in oratione de falſa legat.* his uerbis: *Διδάσκων δ' ὁ πατὴρ γράμματα, ὡς ἐγὼ πρεσβυτέρων ἀκούω, πρὸς τῷ τοῦ ἥρωος τοῦ ἰατροῦ.* *Docens eius pater literas, ut ego e natu maioribus audio, ad herois medici fanum.* VLPIANVS ad hunc Demoſthenis locum, putat, eum Heroa uocatum eſſe, *διὰ τοῦ μέγεθος τοῦ σώματος.* Quod mihi quidem minus uidetur probabile. Quale enim hoc fuiſſet eximium, ut propter magnitudinem corporis coleretur? Cum enim eius fani fiat mentio, ad fidem pronius eſt, ei propter eximium artis ſanandi ſcientiam cultum praeſtitum fuiſſe religioſum. Excipit hunc alius cui nomen TOXARIS, cognomine autem appellatus Ἰατρὸς ξένος *Medicus peregrinus* LVCIANVS in Scytha, haec de eo habet: *Ὁ Τόξαρις οὐδὲ ἀπῆλθεν ἔτι ὀπίσω ἐς Σκύθας, ἀλλ' Ἀθήνησιν*

l) loc. cit. p. 294.
m) Odyſſeae lib. IV. p. 47. ed. SPONDANI.

σιν ἀπέθανε· καὶ μετ' ȣ̓ πολὺ καὶ ἥρως ἔδοξε, καὶ ἐντέμνȣσιν αὐτῷ ξένῳ Ιατρῷ οἱ Ἀθηναῖοι: *Neque Toxaris ad ſcythas eſt regreſſus, ſed Athenis diem obiit, et non multo poſt heros habitus: Sacraque ei Athenienſes, Medicum Peregrinum appellantes, faciunt.* Idem memorat eodem loco, candidum equum ad Toxaridis ſepulchrum immolatum eſſe. *n*) Alius Herois meminit Enarrator Sophoclis in eius uita nempe ALONIS, ὃς inquiens ἦν μετὰ Ἀσκληπιȣ̃ παρὰ Χείρωνι, *qui heros erat cum Aeſculapio, apud Chironem. o*) Ex quibus ſimul elucet, Chironem ſuo iure iis Heroibus medicis adiungendum eſſe. Hic enim Achillem, quas inueniſſe dicitur uulnerum ſanandorum artes, medicasque docuit, ut deinceps e STATIO docebimus, cui Chiron ea de re maximis ornatur laudibus. Fuit ille, qnod iam monuimus, praeſtantiſſimorum Heroum eruditor, ut SALMASIVS *p*) e Xenophonte docuit, adducto magno eorum numero, qui in eius diſciplinam träditi fuerunt. Multa quidem, quae de his tradit antiquitas, non diffiteor, poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum geſtarum monimentis uideri: quibus tamen efficitur, medicos, quo quis praeſtantior fuit, eo maiori fuiſſe in pretio honoreque habendos. Non defuerunt noſtra aetate, nec deſunt, qui tanquam Heroes in hac ſaluberrima arte conſiderari a nobis ſuſpicique merentur. ARNOLDVM *de* VILLA NOVA, conſtat, propter ſingularem in hoc ſtudio peritiam ſummum ac diuinum Medicum appellatum

n) Conf. MEVRSIVS in Graecia feriata, inſerta Theſauro GRONOVII Vol. VII. p. 856. Conf. PAVSAN. lib. IV. p. 345. ed. KVHNII.

o) Idem Athen. Attic. Cap. I.

p) ad TERTVLLIANI libr. de Pallio p. 283.

tum fuiſſe. q) Poſſem plures tales diuinos uiros producere, ſi fines, huic commentatiunculae conſtitutos, transgredi uellem. Potius me conuerto ad alteram Heroum claſſem, ut nomen, quod ſupra, cum de iis etiam acturum me promitterem, contraxi, diſſoluam. Nimirum illos ſpecto Principes, qui inſigni quadam meritorum gloria, aut belli parta, aut pacis, artibus, Heroes merito uocantur. Horum enim ſcimus fuiſſe quosdam, eosque optimos, qui iucunditate huius ſcientiae commoti, ad excolendam eam, quantum quidem eorum ferebat ratio, animum appulerunt. Quorum quidem, cum plures occurrant, quam ut proferri in medium breuitas commentationis omnes permittat, quosdam tantum producamus. Principio e memoria rerum antiquitus geſtarum conſtat, Heroa illum MACHAONEM quaeſitum fuiſſe, ut uulneribus Menelai medelam adhiberet. Praeco hinc iuſſus.

> Παπταίνων ἥρωα Μαχάονα·
> Perueſtigans oculis heroa Machaonem,

inuentum produxit, qui

> αἷμ᾽ ἐκμυζήσας, ἐπ᾽ ἄρ᾽ ἤπια φάρμακα εἰδὼς
> Πάσσε, τά οἱ ποτὲ πατρὶ φίλα φρονέων πόρε Χείρων.
> Sanguinem exugens, lenia medicamenta peritus
> Inſpergebat, quae ſua quondam patri diligens dedit
> Chiron r)

Achilles uti apud STATIVM eſt, a Chirone medica praecepta edocebatur:

> Quin etiam ſuccos, atque auxiliantia morbis
> Gramina, quo nimius ſtaret medicamine ſanguis,
> Quid faciat ſomnos, quid hiantia uulnera claudat,

Quae

q) Conf. Gundling, Hiſtorie der Gelahrheit P. II. p. 1776.
r) Homerus Iliad. IV. p. 68. ed. SPONDANI.

Quae ferro cohibenda lues, quae cederet herbis
Edocuit. *s*)

Testis etiam est CLAVDIANVS: *t*)

Non ocyus hausit Achilles
Semiferi praecepta senis, seu cuspidis artes,
Siue Lyrae cantus, medicas seu disceret herbas.

Nota sunt exempla plura eorum, qui ad Medicorum doctrinam animum adiecerunt. In quibus adducendis MELANCHTHON *u*) nobis otium fecit, qui, cum AVICENNAM Principem hoc auxilii genere instructum, laudasset, ita pergit: *Veteribus temporibus non fuit inhonestum Principibus artem medicam discere, sicut* PELEI, ACHILLIS, ALEXANDRI M. PYRHI, *et multorum exempla testantur.* Auicennam ait propterea ad medendi artem cognoscendam adductum fuisse, quod philosophiam prorsus absque medica arte imperfectam esse uidisset. Idem MELANCHTHON *x*) alibi, eadem de re, Alexandrum praedicat: *Quam multos possem recitare duces ueteres et recentes, qui etsi Medicinam non exercebant, tamen hac Philosophia et suae et aliorum saluti consulebant. Alexandri fuit eximium in hoc genere studium, qui sciebat, et Achillem a Chirone Medicinam didicisse ut apud Homerum legimus.* Et paullo ante ANTONINVM *Imperatorem*, docuerat a Medicorum sci-

 entia

s) Achilleid. Lib. II. u. 445.

t) III. Consul. Hon. Conf. FEITHIVS Antiquit Hom. ubi alia exempla adducantur Cap. 15.

u) Tom. III. Declam. de uita AVICENNAE p, 363.

x) Orat, de Physica Tom. I. Declam. p. 341.

entia fuiſſe alienum. Vnum adhuc exempli documentum in illuſtri poſitum monimento, quod magis attinet ad nos, intueamur. Eſt illud FRIDERICI, Electoris Saxonum, Academiae noſtrae Conditoris, Principis immortali rerum geſtarum gloria meritorumque ſempiterna memoria dignus. Hunc, MELANCHTHON y) teſtatur Principem optimum, quemadmodum uaria omnium fere rerum cognitione inſtructum, ita Medicinam, artem ſalutis humanae praeſidem, mirifice, non noſſe ſolum, ſed ſaepe etiam, euentu felici, exercuiſſe. Ita enim Melanchthon hanc eius artem medicam, multorum morborum uictricem, praedicat: FRIDERICVS *ſtudioſe didicit a Doctiſſimis Viris* MELLERSTADIO *et* PISTORIO *artis medicae fontes, cauſas morborum et remedia. Multa etiam experimenta a Maximiliano et eius Medicis accepit. Itaque quotannis multa remedia ſua manu apparabat, cumque uirtute Principis dignam ſciret, hominum ſaluti opem ferre, officioſe dabat remedia uobilibus et ignobilibus. Vulnera et labefacta membra ſingulari felicitate curabat, quarum medicationum inſignia exempla recitare poſſemus.* Si quis igitur iure Heroibus Medicis adnumerandus erit, noſter certe meretur Princeps Elector optimus, qui iis adiungatur. Quam ille ſcientiam MARTINO POLICHIO MELLERSTADIO z) acceptam referre habuit, Viro non ſolum medica, ſed uariarum ſcientiarum notitia praeſtantiſſimo, et, quod Medico inprimis Ordi-

ni

y) in orat. de FRIDERICO duce Saxoniae Declam. Tom. III. p. 94.

z) Copioſe ac erudite de eo agit Cel. D. Fr. BOERNERVS noſter in commentatione de uita et meritis MARTINI POLICHII MELLERSTADII. Wolfenbütteli 1750.

ni, honori eſt, primo Academiae Vitembergenſis Rectori Magnifico. Horum, autem etiamſi plures nominare poſſemus Principes ac Heroas φιλιάτρους, qui Medicos, ſuae ſalutis cuſtodes, in ſummo honore habuerunt, ab ipſisque harum rerum ſunt inſtructi notitia, tamen eos, cum commentatio noſtra in arctum compellatur, pro inſtituti terminis, praeterimus. Expoſita igitur hac ſententia, ad TE, nunc ſe uertit oratio mea

VIR MAGNIFICE EXPERIENTISSIME EXCELLENTISSIME DOCTISSIME

PATRONE OMNI OBSERVANTIA COLENDE

ut id peragatur, cuius cauſſae omne, quicquid huius commentatiunculae eſt, ſuſcipiendum putaui. Illud nimirum intelligo officium, purpuram Rectoris Magnifici hoc die TVO TIBI gratulandi. Quod quidem laetum officium ipſa humanitatis ratio mihi commendat debitaque TVIS erga me meritis religio. Diu iam eſt, cum animus meus magnitudine uirtutum TVARVM percuſſus geſtiit, TIBI meam comprobare obſeruantiam eamque declarare publice. Mirifice in propoſito me confirmauit id, quod inſignem ac diuinam plane, ut in aliis, ita in medicis artibus, ſcientiam ſemper ſum admiratus ob eamque mihi uideris eſſe is, qui tanquam Heros medicae doctrinae ſit habendus. Hodiernus autem dies, qui faſces TIBI tradit Academicos etiam Herois dignitate TE reddit conſpicuum. Pietate ergo, fortiſſima imbecillitatis meae pudorisque uictrice, commotus, in conſpectum TVVM ſplendidiſſimum hanc auſus ſum proferre commen-

tatiun-

tatiunculam, teſtem pietatis erga TE me meae, nulla dignitate alia cummendabilem. Quod obſeruantiae monimentum, leue quidem ſi dignitate quis metiatur, at magnum ſi ſpectetur animus, ſpero fore, ut facilem aditum in animo TVO habeat. Quod ſi mihi obtigerit, praeclare de me actum putabo. Deo autem optimo maximo ſupplico, ut TIBI praeſtet animi corporisque uires incolůmes, ut oneri, ſplendoris comiti, ſufficere poſſis. Aperiat TIBI occaſionem, qua poſſis gloriae utilitatique huius Academiae inſeruire. Porro omnia TIBI concedat ſummum Numen, quibus iucunditatis felicitatisque humanae menſura conſtare uidetur. Me tandem Patrocinio ampliſſimo TVO, ut me commendatum habeas, obſeruantiſſime rogo. Sancte polliceor, me omni ſtudio, ac pietate potius, TE ſemper culturum, nec commiſſurum eſſe, ut paullo remiſſior in obſeruantiae praeſtandis officiis factus fuiſſe uidear. Quod pietatis ſtudium, ſi non diſplicuerit humaniſſimo animo TVO, in magna felicitate mea ponam. Illam autem pietatem tam altas in animo meo, TIBI perſuadeas, radices egiſſe, ut extirpari nunquam poſſe uideatur.

